





12

1768, 4

J. 27. num. 37.  
4

DECANVS

ORDINIS IVRECONSULTORVM  
IN PERANTIQA ELECTORALI EMMERICIANA  
ACADEMIA ERFVRTENSI

D. RVDOLH. CHRISTOPHOR.  
HENNE, ICTVS

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, FACVLTATIS IVRIDICAE  
ET IVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ADSESSOR, NEC NON  
CODICIS ET IVRIS FEVDALIS PROSESSOR PVBLICVS  
ORDINARIVS,

SOLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI

DN. IOAN. IVSTINI SCHNEIDER,  
DICTI WEISMANTEL,

ERFVRTENSIS,

AD DIEM XXX. MAII M. DCC. LXVIII.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI  
PERAGENDA,

INDICIT,

SIMVLQVE NONNVLA

DE

SPOLIO A IVDICE COMMISSO

PRAEMITIT.



ERFORDIAE, AERE HENR. RVDOL. NONNII, ACAD. A TYP.

89  
26







§. I.

**P**ossessionis in jure nostro varia, prodita esse commoda, possessoribus maximas utilitates creantia, omnibus, qui juris principia, primis, ut aiunt, labris degustarunt, exploratum & perspicuum est, vult enim possessionis causa respectu proprietatis parvi ac modici dicatur praedicti, per se tamen maximum est ponderis ac momenti, semper siquidem melior est conditio possidentis a) & beati dicuntur possidentes, imo ad possessionem in dubio, proprietate non clare adparente, ante omnia est respiciendum b) sigillatim autem commoda possessionis recenset CARPZOVIVS c) ita, ut iis in medium proferendis, hic non viterius insistere, operae pretium sit.


a) Cap. 6. X. de praescript.

b) l. 5. ff. si usufructus pet.

c) Lib. 1. Resp. 1, num. 1. seq.

§. II.

Cum igitur tanta sint possessionis commoda, nulli litiganti vitio verti poterit, si omnes eo intendat nervos, ut sibi de possessione adipiscenda, omni quo fieri potest modo, prospiciat, illaque adepta horum commodorum particeps fiat, quo facto illud, necquam peculiare iuris beneficium consequitur, ut causa inaudita, nec



fatis cognita, possessione sua, vult etiam iniusta forsitan, priuari non possit, sed potius iniustus licet possessor, de iure suo prius audiri, omniaque quæ in medium pro possessione sua coloranda, produxit argumenta, ad amissim examinari & ponderari debeant, antequam possessione sua exuendus, eaque deiciendus est a) conf. MENOCHIVS b).

a) Cap. in literis X. de restitut. spoliat.

b) De adipiscenda possess. Remed. 6. num. 22.

### §. III.

Quodsi vero aliquis possessor possessione sua qualicumque inique, & non obseruatis supra recensitis requisitis, deiciatur, illaque priuetur, spoliatus dicitur, nulla habita ratione, vtrum re mobili, vel immobili, vel etiam iure quodam eiectus sit, vti exemplis hoc declarat, summæ quondam doctrinæ vir BOEHMERVS a) ita, vt etiam iudex de facto & inuerso ordine procedens, spoliū commississe dicatur b) quare hac in re, nihil magistratui indulgendum, si quemquam inauditum, vel ordine iuris prætermisso in possessione turbare, vel ea deicere velit, idque eo minus, quo certius constat, nec Principem debere possessionem alicui iniustam, causa non cognita auferre, docente MENOCHIO c).

a) In Iure eccles. Prot. lib. 2. tit. 13. §. 2.

b) C. 7. X. de restitut. spoliat.

c) Remed. recup. possess. 8. num. 51. seq.

### §. IV.

Dicitur autem spoliū a iudice tunc commissum, vbi vel forma processus prætermissa, vel plane non audita parte, parti litiganti res aliqua, vel jus aliquod ablatum fuit, siue hoc factum fuerit extrajudicialiter, siue judicialiter, omissa, vel non satis instituta causæ cognitione, iudex enim hoc modo procedens, non vt persona magistratus auctoritate pollens considerari potest, sed potius pro privato habetur, cui omni, quo fieri potest modo resisti, eiusque vim vi repellere licet, recte admonente supra laudato CARPZOVIO a)

insuper

insuper etiam tunc iudex spolio se polluit, si quidem vnus partis iura indager, alterius vero merita, flocci vilique pendat, quia omnis cause cognitio vtriusque partis meritorem, sufficiens supponit examen, conf. KLOCKIUS b) & LANCELLOTVS c).

- a) Respons. 2. Tit. 1. num. 1. seq.
- b) Tom. 2. consil. 94. num. 41.
- c) De attentatis parte 2. cap. 20. in praef. num. 22.


§. V.

Cum igitur ex supra allatis, omnis iudex, praescriptam processus formam vel plane non, vel non sufficienter obseruans, spoli reum se faciat, prono etiam exinde fluit alieo, iudicem ad executionem iudicati nimis festinantem, & legitima spatia parti condemnatae non indulgentem, vel executionem praepostere adornantem, in hunc censum quoque esse referendum, talis enim iudex pariter inuerso iuris ordine procedit, cum constet executionem deum in contumacem faciendam, illamque obseruato iuris ordine solummodo decernendam a) quare ordo ICtorum Halensium teste BOEHMERO b) actionem spoli contra iudicem praepostere executionem praecipientem sibi locum vindicare, argumentis admodum solidis respondit.

- a) L. 58. ff. de re iudicata, l. 1. c. de execut. rei iudicatae.
- b) Consult. & decis. tom. 3. parte 2. Resp. 194. num. 8. seq.

§. VI.

Multo magis autem iudex, qui quidem probe custodito ordine iuris procedit, sed intuitu partis, qua actione pulsa est, competentia destituitur, numero spoliantium erit accensendus, si partem hanc possessione mobilium vel immobilium & iurium priuet, si quidem alius iudex non potest ferre sententiam, quia iurisdictione caret a) cum paria sint, plane non ferre sententiam, & sententiam ab incompetenti proficisci b) ita vt possimus a minori ad maius argumentari, & idem sentienti GALLIO c) ad stipulari, actionem spoli



hii contra iudicem incompetentem eo modo locum habere, quo contra iudicem peruerse procedentem, competit,

- a) L. 1. §. fin. ff. ad Sc̄tum Tertyll.
- b) Tot. tit. si a non compet. iudic.
- c) Lib. 2. obf. 76. num. 12.

### §. VII.

Magnium vero intercedit discrimen, inter spoliatum a privato, & illum qui a iudice spoliū passus est, ille enim, ante omnia, nullaque admitta altioris indaginis exceptione restituendus est, & sufficit actorem spoliatum fuisse a) hic vero ante omnia non est restituendus, sed prius modus procedendi a iudice observatus, legitimo examini erit subiiciendus, ac mediante illo inuestigandum, vtrum legaliter processerit nec ne? militat enim pro iudice tamquam persona publica, & iuramenti vinculo adstricta, præsumtio legalitatis b) quæ hunc producit effectum, vt restitutio non nisi prævia causæ cognitione fieri possit, conf. COLERVS c) in alia omnia vero tunc eundem foret, si notorietas certum reddat iudicis spoliū, vtpote quæ tantæ est efficacia, vt nullam amplius requirat causæ cognitionem d).

- a) L. 1. §. 30. ff. de vi & vi armata.
- b) C. 6. X. de renunciat.
- c) In cap. 5. X. de restitut. spoliat. n. 64. seq.
- d) C. 9. X. de accusat.

### §. VIII.

Uterius differentia insignis est conspicua inter iudicem iniuste pronuntiantem, & contra jus in thesi vel applicatione errantem, illumque qui spoliū committit, quia ad formam spoliū a iudice commissi, requiritur, vt de facto vel illegitimo ordine processerit, quod non potest extendi ad iudicem iniuste pronuntiantem, quare & actio spoliū contra eum non poterit intentari, sed potius pars læsa aliis remediis sibi consulere, ac causam suam factam rectam seruare debet.



bet, versamur enim hic in iure plane singulari, quod ultra expressam textus mentem a) ad alios casus trahi non potest, non possumus igitur album calculum adiacere GALLIO b) statuenti, hoc remedium hoc casu etiam obtinere, ac ad illum applicari debere.

a) Scilicet c. 7. X. de restitut. spol.

b) Lib. 2, obs. 76. num. II.

### §. IX.

Quod ipsam nunc attinet actionem, contra iudicem spoliū committentem, instituendam, nullum est dubium, quin eadem juris remedia contra iudicem institui possint, quæ contra priuatum competunt spoliāntem, referimus proinde hanc in classem, interdictum unde vi, circa quod remedium autem differentia inter jus Pandectarum & Codicisprehenditur, iure Pandectarum illud est ad eum solum modo casum restrictum, quando quis violenti modo ex possessione rei immobilis est deiectus a) jus codicis vero hoc extendit ad omnem iniquam possessionis priuationem b) quod iure canonico etiam ad tertium rei spoliatæ possessorem spoliū conscium, fuit tractum c) ac pro remedio in rem scripto, habitum, ac deinde occasione canonis redintegrandi d) contra expressa verba, ad omnem tertium possessorem, spoliū etiam non conscium, erronea licet interpretatione extensum, novumque plane remedium excogitatum, quod implorationem officii iudicis, vel conditionem ex canone nominat MEVIUS e) quem errorem solide detexit incomparabilis BOEHMERVS f) infitias tamen ire non possumus, hunc errorem in praxi triumphum egisse.

a) L. 1. princ. ff. de vi & vi armati.

b) L. 5. & ult. c. unde vi.


c) In cap. 18. X. de restitut. spol.

d) 3. c. 3. quæst. 1.

e) Parte 8. decis. 389.

f) In iure eccles. prot. lib. 2. tit. 13. §. 6. seq.

### §. X.



§. X.

Debet itaque iudex hac sententia in praxi obrinente, parti læsæ, tam fructus perceptos, quam percipiendos restituere, disponente hoc textu juris canonici a). Neque etiam audiri debet (si in alia causa partem spoliaverit, illaque exceptionem spoli ipsi opponat, & legitime intra 15 dies probet, antequam plenaria facta fuit restitutio b) hæc enim est natura exceptionis spoli, vt eo vsque iudicalem excludat aditum, donec plenaria rei spoliata restitutio facta,

a) C. 7. X. de restitut. spol.

b) C. 2. X. de ordin. cognit.

Plura, quin in medium proferamus, programmatis angusti limites, prohibent, præcipue cum illud argumentum occasione allegati c. 7. X. de restitut. spol. in lectione, quam vocant cursoria, vberius dilucidaturus sit.

*NOBILISSIMVS AC CLARISSIMVS*  
DN. IOANNES IVSTINVS SCHNEIDER,  
DICTVS WEISMANTEL,  
IVRIVM CANDIDATVS DIGNISSIMVS,  
QVI DE REBVS AD VITAE ET STVDIORVM CVRSVM IPSIVS  
PERTINENTIBVS, SEQVENTIA NOBIS EXHIBVIT.

**E**go IOANNES IVSTINVS SCHNEIDER *dictus* WEISMANTEL, patriam nactus sum urbem Erfordiensem tot prærogatiuis tam naturæ beneficio, quam ex felici imperii ciuilitis administratione, orientibus, conspicuam; primamque lucem adspexi d. XV. Decemb. anni M. DCC. XLIII. Felicissimo euentu autem, supremum Numen parentes mihi destinauerat tales, qui studiis indefessis pro felicitate filii promouenda, nulli sane antecellunt, qua de re grata erga DEVM veneror mente, quod mihi virosque superstitēs colere sit concessum. *Optimus itaque*


itaque parens mihi est Vir Prænobilissimus ac Consuliss.  
 IO. CAROLVS SCHNEIDER diti. WEISMANTEL, J. V. D. Ci-  
 uitatis Erfordiens. Consul. Secund. meritiss. rel. Opti-  
 ma vero mater est, MAGDALENA IVDITHA CHRISTIANA  
 nata ZIEGLER, IO. BERNARDI ZIEGLERI, Med. Doct. &  
 Physici. Præfecturar. Erfordiens. dum uiueret meritissimi, filia.  
 Hi optimi parentes a prima statim atate mea non solum ut bene edu-  
 carer, sed etiam ut literis imbuerer solliciti erant. Ad Scholam,  
 quam vocant, Prædicatorum itaque frequendam me duxerunt,  
 ubi sub institutione præcipue priuata meritissimi Recloris MARTINI,  
 solidis fundamentis imbutus, anno M. DCC. LVII. ad limina Gymnassii  
 Senatorii quod in ciuitate nostra floret, adductus fui. Duces & studio-  
 rum ut dicunt, humaniorum moderatores fidelissimos in hocce Lyceo de-  
 prehendi, & nomina B. STILERI, E. WEISSENBORNII, BESLERI,  
 modo R. Min. Aug. Conf. Senioris Sc. & VOGELII, modo  
 Profess. A. Conf. in nostra inçlyta vniuersitate, reliquo-  
 rumque Virorum optime in me meritum, nulla obliuione deleri poter-  
 unt. Nec exigua erga me sunt merita Viri Prænobiliss. RYM-  
 FELII, J. V. D. & Prof. Publ. Ord. qui Directione Gymnassii  
 dicti fungens, non solum in me erudiendo magnam nauauit operam,  
 sed etiam me anno M. DCC. LXI. sollemniter ex Lyceo nostro dimittens  
 ad academica studia aditum aperuit. Inuestauerat interea bellum modo  
 pacatum, & urbem nostram, milesque Borussia pro maximo meo dolore,  
 inter alios obsides etiam optimum patrem ceperat, atque in triennemem  
 & quod excurrit, captiuitatem deduxerat; nihilominus tamen suasu &  
 ex consilio Virorum amicorum, studia academica strenue in Vniuer-  
 sitate patria aggrediebar. In Philosophicis itaque manuductione Viro-  
 rum meritissimor. HADELICHII, Conf. primar. & Prof. Phil.  
 Ord. VOGELII Prof. Theol. A. Conf. BAYMERT, Consil.  
 Elector. modo Profess. Med. Ord. in vniuersitate Gies-  
 sensis, B. BOHNII, Prof. Phil. Ord. & Pastor Xenod. alio-  
 B: runque.

rumque usus sum. Juridicis vero Scholis Virorum Prænobilissimorum ac Consultissimorum. TURINII, J. V. D. & Prof. Publ. Ord. nec non facultatis Assess. SCORCHII jun. J. V. D. & Prof. Publ. Ord. RUMPELII prælaudati aliorumque virorum gravissimorum, sedulo & maximo cum fructu interfui. Partibus Philosophia & Jurisprudentia hoc modo maxime absolutis, optimus pater ex re futurum esse judicavit, si ad externos peregrinem ibique studia pro patria commodo perficerem. Adii igitur Georgiam Augustam anno M. DCC. LXIII. d. XX. Octobr. ibique Scientias Juridicas & Philosophicas, cum earum ambitus in patria jam innotuerat, eo melius excolendi, mihi vberissima occasio oblata est. In philosophicis itaque institutione BECMANNI quoad Logicam & Metaphysicam usus sum, HOLLMANNI vero & KAESTNERI, quoad Physicam & Scientias Mathematicas. In Juridicis vero omnem operam nauavi apud Cl. AYRERVM, in Struuii Jurisprud. R. G. forensensem, Jus publicum Imperii & artem ex Aëlis referrendi sententiasque conficiendi priuatissime manuducentem. Nec Cl. BOEHMERI prælectiones ad Jus Canonicum & feudale mihi sine fructu fuerunt. Cl. PUTTERI doctrina ad Histor. Imperii & Jus Publicum nec non Processum summorum imperii tribunalium & Jurisprudentiam heroicam, siue Jus priuatum principum, me quoque maximopere erudiuit. Interfui porro Cl. MEISTERI prælectionibus ad Institutiones, Pandectas & Jus Criminale; BECMANNI sen. ad Theoriam vniuersi Processus, Jus Naturæ, rel. Generosiss. de SELCHOW ad Histor. Jur. litterar. & Jus Germ. priuat. &c. Cl. CLAPROTHII Collegio elaboratorio practico quoque interfui. Hisce solis vero ad scopum meum proxime facientibus, insistere non putavi, sed ex aliqua necessitate temporum nostrorum commotus, non solum peregrinarum linguarum studium aggressus fui, sed etiam Cl. GATTERERVM de

de Historicis & Diplomaticis rebus differentem audiui, Cl.  
ACHENWALLVM quoque in suis Collegiis ad Historiam præci-  
puorum Europe regnorum, Politicam siue prudentiam  
ciuilem, inque ea præcipue Oeconomiam publicam &  
rem cameralem, & ita dictam Statisticam frequentauit. Præterea  
grata mente publice colo Patrocinium, fauorem amicitiamque præcipuo-  
rum doctorum meorum, qui me ex iterata sæpe conuersatione, pro cir-  
cumstantiis suauiter aut doctè, colloquiis suis erudire, aut quoad  
vita rationem ex consuetudine corrigere haud dedignati sunt.  
Mores & studia enim, quemadmodum ex prava societate  
corrumpuntur, ita ex amicis Virorum eruditione conspicuorum con-  
fortiis efflorescunt, & quilibet nouit, quantum hoc prodest ad penetran-  
dum ad Appollinis sacra, quæ sæpe labore vix attinguntur. Studii  
itaque omnibus tractatis, quæ ad scopum meum aliquid conferre vide-  
bantur, ante biennium in patriam redux sui, nil amplius exoptans,  
quam ut studia loberesque mei ad patriæ commodum vergant, fruges-  
que pro proximi salute reportent

Laudabiliter tandem peracto studiorum cursu, Candidatus  
Noster præstantissimus consuetis literis ordini nostro ad solemnia  
se obtulit specimina, ad quæ admissus, non modo sibi præscrip-  
tam legum enodationem felici peregit successu, sed & quæstiones  
in examine quod rigorosum vocant, propositas, promte ac erudite  
dissoluit, proinde eum communi consensu dignum iudicauimus,  
qui ad summos in vtroque jure honores cum laude admitti possit.  
Ante vero quam voti sui compos reddi queat, publica adhuc restant  
specimina futuro die XXX. Maii edenda, qua hora IX. matutina  
ad cap. 7. X. de Restitut. spol. commentabitur, deinde vero aufpi-  
calem suam Dissertationem

DE CVRA FEMINARVM SECVNDVM  
IVS SAXONICVM ET STATVTA ERFVRTEN-  
SIA EX PRINCIPIIS MEDII ÆVI.



sine præside publico Eruditorum subiiciet iudicio. Cui actui panegyrico, vt Magnificus, Amplissimus ac Experientissimus Academiae Rector, Patres Academiae conscripti, omniumque ordinum Proceres, vna cum generosissima ac nobilissima studiose iuuentutis concione, interessè dignentur, ea qua par est obseruantia rogantur & inuitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Juridicæ, Feste Trinitatis M. DCC. LXVIII.

L. S.

ERFURT, Diss., 1768/69

ULB Halle

003 738 620



3

f

sb.







12

1768, 4

J. 27. num. 37.

4

DECANVS

ORDINIS IVRECONSULTORVM  
IN PERANTIQA ELECTORALI EMMERICIANA  
ACADEMIA ERFVRTENSI

D. RVDOLH. CHRISTOPHOR.  
HENNE, ICTVS

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
MOGVTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, FACVLTATIS IVRIDICAE  
ET IVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ADSESSOR, NEC NON  
CODICIS ET IVRIS FEVDALIS PROSESSOR PVBLICVS  
ORDINARIVS,

SOLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI  
DN. IOAN. IVSTINI SCHNEIDER,  
DICTI WEISMANTEL,

ERFVRTENSIS,

AD DIEM XXX. MAII M. DCC. LXVIII.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI  
PERAGENDA,


INDICIT,

SIMVLQVE NONNVLA

DE

SPOLIO A IVDICE COMMISSO

PRAEMITIT.



ERFORDIAE, AERE HENR. RVDOL. NONNII, ACAD. A TYP.